

Q. D. B. V.

De

8
2

CHRISTIANISMO SENECAE,

DISSERTATIONE HISTORICO - THEOLOGICA

EXAMINATO,

IN FLORENTISSIMA LEVCOREA

SVB PRAESIDIO

V I R I

PLVR. REVERENDI, AMPLISSIMI, EXCELLENTISSIMI
DN. AEGIDI STRAVCHII,
S.S. THEOLOG. DOCTORIS, ET COLLEGII
THEOLOGICI ASSESSORIS GRAVISSIMI, NEC
NON HISTORIARVM PROF. P. LONGE
CELEBERRIMI,

*Dn. Præceptoris, Patroni, & Hospitis sui
multis observantie nominibus aeternum
colendi,*

PUBLICE DISPVTVAVIT

M. GOTHOFREDVS Kávich/
VRATISLAVIENSIS,

In Auditorio Maiori, ad D. Septembris,
A. R. S. CIC IOC LXVIII.

I E N AE,

Typis & Sumptibus GOLLNERIANIS,
ANNO 1706.

2A.



J. N. J.

Amplissimè quidem lucis Euangelicae
usus iam ab initio Noui Testamenti pa-
tit, cum Seruator noster induerit car-
nem, ut illuminaret omnem hominem
venientem in hunc mundum *Iob. 1. 9,*
propriâ tamen hominum malitiâ, qui tenebras dile-
xerunt magis quam lucem *Iob. 3. 19,* euenit, quod
praesertim ii, qui sapientiae huius mundi dediti fue-
runt, salutis nostrae mysteria fidemque, quae non in
sapientia hominum, sed in potentia D E I consistit *I.*
Cor. 2. 6. aut omnino nunquam, aut tarde admiserint.
Scilicet ipsemet Seruator noster discipulorum suo-
rum ordines descripturus, gratias agit Patri, quod
Euangelii doctrinam absconderit sapientibus & pru-
dentibus, & reuelarit eam infantibus *Matth. XI. 25,*
Luc. X. 21. & Diuus *Paulus Corinthios* suos verbis
sequentibus allocutus est: *videtis vocationem ve-*
stram, Fratres, quod videlicet non multi vestrum, qui
vocati estis, sint sapientes secundum carnem, non mul-
ti potentes, non multi nobiles; sed quae stulta haben-

A 2

tur

¶ (4.) ¶

tur in mundo, illa elegit D E U S, ut sapientes pudefa-
ceret, & infirma mundi elegit D E U S, ut pudefaceret
valida, & quae ignobilia habentur in mundo & nibi-
li aestimata, illa elegit D E U S, & ea quae non sunt,
ut ea quae sunt, aboleat, 1. Cor. 1. 26, seqq. Caeterum
rariores ad Ecclesiae Christianae pomoeria acces-
runt illi, qui Philosophi dici consueuerunt, non
quod iisdem salutem aeternam inuiditerit D E U S,
vel per absolutum Reprobationis decretum quod-
dam exclusos, praeteritosque eos voluerit; sed quod
sapientia huius seculi inflati, vanos euertere λογισμούς,
omnemque sublimitatem, quae se se extollit aduer-
sus cognitionem D E I, vel in captiuitatem redigere
omnem cogitationem ad obediendum Christo, de-
trectarint 2. Cor. X. 5. gloriati potius, aduersus inter-
dictum D E I, in sapientia sua Ier. IX, 23. Nullus cer-
te obex gratiae vocationis maiori cum periculo po-
nitur, quam vana de sapientiae & scientiae dotibus
praesumptio; quemadmodum desperatus pesimus-
que aegroti status est, quando is vim morbi sui, quo
lethaliter decumbit, non sentit amplius & de sanitate
sua fabulatur. Quod si Ecclesiasticam Historiam
consulamus, abunde eadem nos docebit, quam dif-
ficilis labor sanctorum Patrum fuerit, quoniam sapien-
tiae humanae Magistris Baptismi susceptionem
persuadere conati sunt. Imo non ipsi tantum sa-
pien-

pientes illi adversus Fidem Christianam obfir-
 marunt animum, sed Christianorum numero
 iam adscriptos ad defectionem frequenter solicita-
 runt, vnde Ecclesiasticorum Scriptorum in Philo-
 sophos, (non veri nominis tales, sed qui abusi co-
 gnitione, quam natura suppeditat, φάσκοντες εἴναι σο-
 φοί, ἐμωρέγγιθησαν, quum dictitent se sapientes, stulti e-
 uaserunt, Rom. I, 22.) acerbissima dictoria originem
 suam habuerunt, quando Tertullianus in libro ad-
 versus Hermogenem HAERETICORUM PA-
 TRIARCHAS eos appellat, & de praesumptio-
 nibus adversus HAERETICOS inquit: ipsae
 Hæreses à Philosophia subornantur, item: Quid ergo
 Athenis & Hierosolymis? Quid Academiae & Eccle-
 siae? Quid Haereticis & Christianis? Nostra institu-
 tio de portico Salomonis est, qui & ipse tradiderat, Do-
 minum in simplicitate cordis esse querendum. Vide-
 rint, qui Stoicum & Platonicum & Dialecticum Chri-
 stianismum protulerunt. Et denuo in Apologetico ad-
 versus gentes cap. XLVI. inquit: Christiani, qui exce-
 dent à regula disciplinae, desinunt tum Christiani ha-
 beri penes nos; Philosophi vero illi cum talibus factis
 in nomine & in honore sapientiae perseuerant. Quid
 adeò simile Philosophus & Christianus? Graeciae di-
 scipulus & coeli? famae negotiator & vitae? verbo-
 rum & factorum operator? rerum aedificator & de-

structor? Amicus & inimicus erroris? veritatis interpolator & integrator? Furator eius & custos? Etsi vero Philosophorum è Gentilismo conuersorum exempla quaedam praestò sint, & Iustinus Martyr in primis, postquam omnis generis Sectas Philosophorum audierat, Stoicos, Peripateticos, Pythagoricos, Platonicos (vti ipse in Dialogo cum Tryphone refert,) Fidem Christianam amplexus, sanguinem etiam pro eadem fuderit, rariora tamen ea sunt, quam fidelium *νηπίων* mente & mento talium; Nonnulla etiam controuersa exempla sunt, nec merentur fidem. Atque haec inter videntur nobis recensenda esse, quae de SENECAE, Celeberrimi quondam Philosophi, Christianismo circumferri solent. Dispiciemus igitur hâc vice: NUM RELATIO eorum, qui Senecam Christianorum numero adscribunt, & Martyrem propemodum faciunt, veritati litet, nec ne? Sanctifica nos, Pater sanctissime, in veritate tua, sermo tuus veritas est!

§. I.

Tiam si Senecae nomine, priscis temporibus,
 plures innotuerint; nam ad Senecam Defen-
 sorem Valentinianus & Valens AA. *de Defen-*
soribus civitatum, id est, Magistratibus mino-
 ribus, qui usque ad quinquaginta solidorum
 summam cognoscere poterant, rescriperunt, *L. I. Codicis*,
 & Episcopus X. Hierosolymitanus *Seneca* appellatur, apud
Nicephorum Callistum L. 3. c. 25. Nos tamen nullum alium hoc
 loco intelligimus, quam *Lucium Annaeum Senecam*, cuius
 Pater in Bibliotheca Hispanica p. 196. vocatur *Marcus Annae-*
us Seneca miraculosa pollens memoriae vi, cum duo millia
 vocum eò ordine recitare potuerit, quò alter dixerat; vti ab
 initio declamationum ipse refert. Matrem habuit *Helviam*,
 quae & *Elbia*, corruptè in codicibus quibusdam *Albina* dici-
 tur. Fratrum unus *Annaeus Mela*, seu *Mella* genuit *Luca-*
num Poëtam; alter *Annaeus Nouatus*, itemque *Iunius Gallio*
 appellabatur, qui honores civiles gessit. De his ipsis ita *Lu-*
cius Annaeus noster, in consolatione ad *Helviam* c. XVI. Re-
 spice fratres meos, quibus salvis fas tibi non est accusare for-
 tunam, in utroque habes, quod Te diuersa virtute delectet: Al-
 ter honores industria consecutus est, alter sapienter contempsit.
 Acquiesce alterius filii dignitate, alterius quiete, utriusque pie-
 tate. Novi fratrum meorum intimos affectus. Alter in hoc
 dignitatem excolit, vt tibi ornamento sit. Alter in hoc se
 ad tranquillam quietamque vitam recepit, vt tibi vacet. Be-
 ne liberos tuos & in auxilium, & in oblectamentum fortuna dis-
 posuit. Potes alterius dignitate defendi, alterius otio frui, &c.
 Caeterum an nomen Senecae exinde descendat, quod is,
 cui primo hoc impositum, Canis sit natus; vti de *Numa*
Pompilio tradiderunt quidam, definire non audemus. Hoc
 certius est, Hispanum fuisse Senecam nostrum, *Cordubæ*, in
 Baeti-

Baeticæ, (quæ hodie Andalusia dicitur) civitate, ad Baetin fluum editus, celebremque adeò nactus patriam, cum *Baetica* vniuersa fertilissima, optimaque Hispaniae Provincia à Plinio dicatur: *Corduba* verò, inter octo Baeticæ coloniae, prima & *Patritia* dicta sit, quasi *colonia Veteranorum & Honestorum*, quique ut *Patres* digni honore fuerint, quô modô titulum hunc *Antonius Augustinus* Tarragonensis Archi-Escopus Dialogo VIII. de Antiquitatibus Romanis, Hispanisque p. 112. exponit. De eadem Senecæ patria, ita *Martialis* cecinìt: L. i. Epigram. 62.

Duosque Senecas unicunque Lucanum.

Facunda loquitur Corduba.

§. II. De Genere igitur & Patria Senecæ nostri constat: non item de tempore, quo natus is est. Plures quidem testantur, quod corpus senile habuerit, quando, Neronis iussu, necessitatem ultimam annunciauit ei centurio, id est anno Christi LXV. P. Silio Nervâ & C. Iuliò Atticô Vestinô COSS. Nec potuit quidem res sealiter habere cum M. Aquiliò Julianò, & P. Norico Asprenate Torquato COSS. id est anno Christi XXXIX, tantum in dicendi arte iam valuerit Seneca, ut videretur; ac si eloquentia superare Caligulam vellet. Conf. Dio L. 59. Hoc vnum igitur certum videtur, Octavio Augusto Imperatore, Senecam natum esse; Nam quod eius temporibus vixerit, indicauit ipse, naturalium Quæstionum L. i. cap. i. *Nos quoque vidimus*, inquit, *non semel flammarum ingentis pilae specie, qua et tamen in ipso cursu suo dissipata est. Vidimus circa Divi Augusti excessum simile prodigium.* Et iterum L. VII. cap. 17. Cometen, sub Augusto se vidisse, refert. Atque hoc ex eo etiam patet, quod in Tiberii Caesaris principatum, iuuentæ suæ tempus incidisse, in Epistola CVIII. scripsérunt.

§. III. Quicquid sit de Natali Senecæ, vitae eius instituta

stituta breuissimis exponamus. Studiis igitur Philosophicis ab ineunte aetate fuit addictus, artemque dicendi egregie didicit, auscultans principio Pythagoricis Doctoribus, quorum instinctu etiam abstinere animalibus inceperat, nec non vnguentō, quoniam optimus odor in corpore est nullus. Vino etiam caruit stomachus; & in omnem vitam balneum fugit; nam decoquere corpus, atque exinanire sudoribus, inutile simul, delicatumque credidit, ut ipsemet *Seneca* sensa animi sui exponit *Epistola* CVIII. Postea Stoicae Philosophiae fuit addictior, quae *Plutarchō* in Cleomene iudice, si in magnam & acrem inciderit naturam, quiddam lubricum & anceps; sin temperetur ingenio graui ac miti, multum confert ad verum bonum. Causarum etiam Patronum aliquando se fuisse, ipse testis est, in Epistola XLIX. ad Lucium scribens: *Modo apud Stoicum Philosophum puer sedi, modo causas agere coepi, modo desii velle agere, modo desii posse.* Sicuti Rem publicam non neglexit, ita honores etiam exinde retulit, SENATOR, QUAESTOR, PRAETOR, & tandem, extra ordinem licet, factus est CONSVL, suffectus in locum *P. Marii Celsi & Asinii Galli*, Annō vrbis Conditae DCCCIV. Christi LXII. Etsi enim *Ausonius* ad Gratianum Imperatorem, pro Consulatu agens gratias, scripsit; *Dives Seneca, nec tamen consul, arguetur magis, quam praedicabitur, non erudiisse indolem Neronis, sed armasse se uitiam, id tamen de Consulatu ordinario esse intelligendum palam est.* *Ulpianus* certe Consulatum Senecae diserte commemorat L.I.D.ad Senatus consultum. Verba eius sunt *Explicito tractatu, qui ad fidei commissa singularium rerum pertinet, transeamus nunc ad interpretationem Senatus consulti Trebelliani. Factum est enim Senatus Consultum temporibus Neronis, octauo Calendas Septembbris, Annaeō Senecā & Trebellio Maximo Consulibus. Quod ipsum etiam Iustinianus Imperator confir-*

¶ 10 ¶

mat L. 2. Institut. de fidei commissariis Haereditatibus, & ad
Senatus Consultum Trebellianum, Neronis quidem temporibus
inquit Imperator, Trebellio Maximô & Annaeô Seneca Consulib.
bus. senatus consultum factum est; quôcautum est, ut si baereditas
ex Fideicommissi causa restituta sit, omnes actiones, quae iure
Ciuii haeredi & in haeredem competenterent, ei & in eum da-
rentur, cui ex Fidei commisso restituta esset haereditas &c.

§. IV. Caeterum cum pro Sapientissimo Prudentissimoque Seneca haberetur, tradita illi Nerois pueritia, & iuuentus est, quam ultra XIV. annos rexit, & quam diu quidem Imperatoris in animo consilia Senecae haerebant, laetissimus erat Reipublicae Romanae status, cunctaque optime & iustissime administrabantur, sed postquam alter Imperatoriae iuuentae Rector & Collega Senecae Afranius Burrbus, militaribus curis & seueritate morum praestans, fatis concesserat, fracta est Senecae potentia, & Nero adulatoriis auscultauit, quorum erant hae voces: *Senecam ingentes & priuatum supra modum euectas opes adbuc augere; Studia ciuium in se vertere; Hortorum quoque amoenitate & villarum magnificientia quasi principem supergredi; Nibil in Republica clarum, quod non ab illo reperiri credatur. Cerse finitam Neronis pueritiam & robur iuuentae adesse; Exueret Magistrum, satis amplis Doctribus instructus, maioribus suis* (Tacitus Annal. LXIV. cap. 52.) Itaque in omnis generis vitia prolapsus est Nero, immani bestiae simillimus, & detectâ Pisonianâ coniuratione, in Senecam nostrum saeuit compulitque Praeceptorem ad necem, quamuis saepe commeatum petenti, bonisque cedenti, persancte iurasset, suspectum se frustra, periturumque potius, quam nocitum se ei, vti Suetonius annotavit. Indicta à tribuno ultima necessitate ferrò brachia exsoluit, & post diurnos cruciatus tandem periit, sicuti posteâ vberius expônemus.

§. V.



¶. V. Atque hic Seneca ille est, quem ad Christianismum conuersum esse & scripsisse etiam ad Paulum litteras, à quibusdam Scriptoribus traditur, qui ex antiquitate Ecclesiastica sequentia ferè pro sententia sua allegant. Et primò quidem locò ad ipsamet sacra Biblia prouocant, Paulum enim testari aiunt, quod ea quae sibi acciderint, magis evenerint ad profectum Euangelii adeò, ut vincula sua in Christo manifesta facta sint in *Toto Praetorio*, ac caeteris omnibus &c. *Pbil. I. 12, 13.* Et iterum eosdem Philipenses, Sanctorum nomine, salutat, qui sunt ex *Caesaris domo*, *Phil. IV, 22.* Iam, inquiunt, apud *Georgium Hornium* in Historia Philosophica L. 4. c. 6. quis maior in Caesaris Neronis domo, quam Praeceptor Seneca? item quoniam tanta doctrinae Pauli celebritas fuit & admiratio, ut etiam ex Caesaris familia & molles illi & plerumque degeneres animi eum secuti sint, an igitur Seneca, sapientiae laude celebris, tantum audire virum recusasset? In eandem rem interpretantur quidam eiusdem Apostoli verba: *Dominus mihi adstitit & corroboravit me, ut per me paeconio Euangelii fides fieret, audirentque id omnes Gentes, & ereptus fui ex ore leonis.* *2. Timoth. IV, 17.* Putant igitur Paulum indicare, uti è primis vinculis familiaritate & opera Senecae Philosophi, Christianismò imbuti, liberatus fuerit, ut in Hispaniis praesertim, aliisque occidentis partibus, Euangelium praedicaret, & Gentes illas ad fidem converteret.

¶. VI. Secundum argumentum pro Christianismo Senecae secundi post Petrum Pontificis, *Lini* nempe, testimonium suppeditare dicitur, quod in libro eius de Passione Pauli ita legunt: *Concursus de domo Caesaris fiebant ad eum (Paulum) sed & institutor Imperatoris adeò fuit illi amicitia copulatus, videns in eo diuinam scientiam, ut se à colloquia illius temperare vix posset, quo minus, si ore ad os illum al-*

¶ (12.) ¶

qui non valeret, frequentibus datis & acceptis Epistolis, ipsius dulcedine & amicibili colloquio, atque consilio frueretur. Etsi enim in iisdem verbis *Lucii Annaei Seneca* diserta mentione non fiat, Institutorem tamen Caesaris Neronis dum Auctor huius Libri nominauit, non potuit alium, quam Senecam Philosophum intellexisse, qui de institutione hac in hunc modum ad Neronem verba fecit, vt est apud Tacitum Annalium LXIV. *Quartus decimus annus est Caesar, ex quo speituae admotus sum, octauus, ut imperium obiuntes. Medio temporis tantum bonorum atque opum in me cumulasti, ut nihil felicitati meae desit, nisi moderatio eius &c.* Et quam praeclara fuerit illa institutio, vel ex eo appareat, quod Sermonem *Neronis*, è mente Praeceptoris sui *Senecae*, initio imperii habitum, tanti fecerit senatus, vt columnae argenteae inscribi eum iusserit, vt quotannis in creatione nouorum Consulium legeretur, eâ gratiâ, vt velut ad amissim, iuxta ea pracepta, Rem publicam quam optime regerent, quod ex Dione *Xiphilinus* prôdidit.

§. VII. Allegant tertio Divi *Hieronymi* autoritatem, qui in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum Tom. I. Operum Edit. Basil. p. 123, de Seneca nostro sequentia annotauit: *Lucius Annaeus Seneca Cordubensis Sotionis Stoici discipulus & patruus Lucani Poetae continentissimae vitae fuit, quem non ponerem in catalogo Sanctorum, nisi me illae Epistolae provocarent, quae leguntur à plurimis Pauli ad Senecam, & Senecae ad Paulum. In quibus cum esset Neronis Magister, & illius temporis potentissimus, optare se dicie, ejus esse loci apud suos, cuius sit Paulus apud Christianos. Hic ante biennium, quam Petrus & Paulus coronarentur martyrio, à Nerone interfectus est. Et iterum ad laudem Senecae pertinere videtur, quod L. I. aduersus Iouinianum c. XXX. Sumum*

um Hieronymus appelle: scripsierunt Aristoteles, ait, & Plutarchus, & noster Seneca de matrimonio Libros &c.

§. 8. Quartum citare Christianismi Senecae testem solent Flauium Lucium Dextrum Barcinonensem, orientalis Imperii Praefectum Praetorio, & Diuo Hieronymo amicissimum, qui in Chronico omnimodae Historiae, primum quidem eidem Hieronymo dicato, sed eō ad superos translatō, multis locis locupletato & Paulo Orosio Tarracensi iterum nuncupato, ad annum Christi 64. Vrbis DCCCXV. scripsierit: *Lucius Annaeus Seneca Cordubensis Hispanus, missis ultrò citroque ad Sanctum Paulum literis, de Christiana re bene sentit, factusque Christianus occultus, eius fuisse discipulus creditur, dulciterque scribit ad Paulum in Hispania morantem.* Ad quae verba Dextri Franciscus Biuarius, Mantua-Capetanus Cisterciensis Monachus, inter alia annotavit: *Vna ex his (epistolis) videtur ea, quam Dexter ait scripsisse Senecam ad Paulum in Hispaniis degentem: Nimiō tuō angimur secessu: Quid est, vel quae te moratum faciunt? si indignatio Domini, quod à ritu & secta veteri recesseris, & a lios rursus conuerteris, erit postulandi locus, ut ratione factum, non leuitate, hoc existimes. Vale.*

§. 9. Quintō Augustinum etiam allegant, ut probent Senecam Epistolarum ad Paulum Auctorem genuinum & Christianum fuisse. Meminit Senecae *Augustinus* in Epistola ad Macedonium, quae LIV. est in editione Basileensi, & extat Tom. II. Oper. p. 239. in eadem sequentia leguntur: *Merito, ait Seneca, (qui temporibus Apostolorum fuit, cuius etiam quaedam ad Paulum Apostolum leguntur Epistolae) omnes odit, qui malos odit; & tamen ideo diligendi sunt mali, ut non sint mali: quemadmodum non ut permaneant, sed ut sanentur, diligentur egroti.* Eundem Auctorem iterum allegat *Augustinus* L. VI. de civit. DEI cap. X. oper. T. V. p.

361. *Libertas sane*, inquit, *quae huic* (Varroni) *defuit*, *ne*
istam Urbanam Theologiam, Theatricaē simillimam, *apertē si-*
cūt illam reprehendere auderet, *Annaeo Senecae*, *quem nonnul-*
lis indiciis inuenimus Apostolorum nostrorum clarissime tempori-
bus, *non quidem ex toto*, *verum ex aliqua parte non defuit*.
Affuit enim scribenti, *viventi defuit*. *Nam in eo libro*, *quem*
contra superstitiones condidit, *multo copiosius atque vehementius*
reprehendit ipse ciuilem istam & urbanam Theologiam,
quam Varro Theatricam, *atque fabulosam &c.*

§. X. Imo nouum & Sextum Argumentum pro Christianismo Senecae, è citato eius ab Augustino, contra superstitiones, Libro, desumunt, arguentes; Eum, qui superstitiones Gentilium acriter perstringit, nec quicquam cum illis commune habere desiderat, pro gentili Ethnico habendum amplius non esse; & quia nec cum Judaeis fecit Seneca, Christianum eum fuisse oportet. Assumptionem nouissimam iterum ex Augustino probant in eodem L. VI. de Ciu. DEI cap. XI. verbis sequentibus auspicante: *Hic* (Seneca) *inter alias ciuilis Theologiae superstitiones reprehendit etiam Sacra menta Iudeorum & maxime Sabbathum*, *inutiliter id eos facere affirmans*, *quod per illos singulos septem interpositos dies septimam ferè partem aetatis suae perdant vacando & multa in tempore urgentia non agendo laedantur*. *Christianos tamen, jam tunc Iudeis inimicissimos, in neutram partem commemorare ausus est*, *ne vel laudaret contra suae patriae veterem consuetudinem, vel reprehenderet contra propriam forsitan voluntatem*. Subiungit Ludouicus Vives, insontium Christianorum lanienam, qui incensā à Nerone vrbe, poenis exquisitissimis, omnemque humanitatem superaribus, subiiciebantur, Senecam spectare non sustinuisse, & cum frustra à Principe petisset, ut in rus aliquod secedere, valetudinis causa, sibi liceret, domi atque adeo

adeo in cubiculo multos menses se continuisse. Quà ratione *Vives Tacitum* corrigit, qui, ad euitandam inuidiam *Sacrilegiorum Neronis*, consilium Senecae interpretatus est.

§. XI. Addit *Franciscus Biuarius* in Comment. ad Dextri Chronicon, septimò, *Honorium Augustodunensem Ecclesiae Presbyterum & Scholasticum*, quem *Bellarminus* è Trithemio anno Domini 1220. claruisse scribit; Eundem enim in Libro de Luminaribus Ecclesiaè, seu scriptoribus Ecclesiasticis, sequentia annotasse: *L. Annaeus Seneca Cordub. Photini Stoici discipulus & patruus Lucani Poetae, scripsit quasdam epistolas ad Paulum Apostolum, & Apostolus quasdam rescripsit.* Huc referri potuisset Epitaphium Senecæ, quod his versibus descriptum circumfertur.

Cura, labor, meritum, sumpti pro munere honores

Ite, alias posthac sollicitate animas.

Me procul à vobis DEUS euocat. Ilicet actis

Rebus terrenis hospita terra vale:

Corpus auara tamen solemnibus accipe Saxis;

Namque animam coelo reddimus, ossa Tibi.

Atque haec fere sunt, quae adduci à Scriptoribus solent, vt probent, Senecam Christianum fuisse. Epistolæ ipsas, conuersionis huius Philosophi indices, collegit *Iacobus Faber Viennensis Episcopus*, & commentariolô illustravit, quem secutus est *Sixtus Senensis*, qui in Bibliotheca Sancta Libro II. p. 115. octo exhibet Epistolæ, quas *Seneca* ad *Paulum*, & Sex, quas *Paulus* ad *Senecam* scripserit, quas genuinas esse non dubitat, et si fateri cogatur, aliud scribendi genus, in scriptis *Senecæ* aliis, obseruari, quod ita excusat: *videri* sibi *Senecam* stylum suum aliquantulum in bis epistolis obumbrasse de industria, & disimulasse, vt si forte in alienas manus Epistolæ venissent, et si inscriptæ nomine *Senecæ*, potuissent nibilominus, in periculo, non videri *Senecæ*. Periculum enim fuisse

fuisse & contra Imperoris tunc edictum Christiani aut Iudaei familiaritate vti. Eandem sententiam è Pontificiis propugnant Salmeron in Commentar. ad Phil. cap. IV, 22. Margarinus de la Bigne in Bibliotheca Patrum, Franciscus Biuarius ad Chronicon Dextri aliique.

§. XII. Etsivero ii, qui affirmant, Senecam de Orthodoxa fide ad Apostolum Paulum scripsisse, & Christianum factum esse rationibus suis non destitui penitus videantur, recepta tamen magis aduersa sententia est, Senecam, vt *Stoicum Philosophum* decessisse, & epistolas saepius citatas suppositias esse. Ita certè sentiunt *Erasmus Roterodamus* in notis ad Hieronymum de scriptoribus Ecclesiasticis, *Ludouicus Vines* ad Augustinum de ciuitate DEI L. VI. c. X. *Centuriatores Magdeburgenses* Centurià I. *Robertus Cucus* in Censura scriptorum veterum p. m. 10. *Baronius* ipse in Annalibus ad Annum LXVI. N. XI. *Posselinus* in Apparatu, voce Seneca, *Martinus Antonius Detrius* in Prolegom. ad Syntagma Tragicum, *Beza* in Annotationibus Maioribus ad Phil. IV, 22. & è recentioribus *Marcus Zuerius Boxhornius* in historia vniuersali p. 122. *Georgius Hornius* in historia Philosophica p. 257. aliisque. Non negamus equidem, multa egregie & optime egisse, atque scripsisse Senecam, ynde praeclara etiam meritus elogia est, quale est illud *Frontonis*, nobilis olim oratoris & Nepotis Plutarchi, qui Senecam sic exterminare omnes errores dicebat, vt aurea videatur secula reformatre, & DEOS, ab humano genere exulantes, eius operâ reuocatos, hominibus, contractâ societate, misceri. Ipsique Sencae osores, apud *Gellium* Lib. XII. cap. 2. de scriptore hoc ita sentiunt, rerum, quas dicat, scientiam doctrinamque, ei non deesse, & in vitiis morum obiurgandis seueritatem, grauitatemque non inueniunt. Imo nec *Iosephi Halli*, olim Episcopatus Wigorniensis in Anglia De-

cani,

candi, iudicium de Seneca improbamus simpliciter, quando
is in libro de vera tranquillitate animi, quem *Eberhardus
Schuttenius* Latinum fecit: *Nunquam, ait, quisquam Philosopho-
rum probabilius; Nec aptiorem vñquam mibi desiderarem Magi-
strum, si nullâ alia in bac re Magistrâ opus quam Naturâ ipsâ
haberem.* Sed nec illud inficias imus, ad praeconium Eu-
angelii aditum Senecae patuisse, cum Christianorum mul-
ti, & inter hos Paulus etiam, eius temporibus, Romae vi-
xerint. Nec deerant Senecae Christianorum Martyrum
exempla, qui praesertim in nouissimis, fidem suam ad spe-
ctatores exposuerunt egregie, eandemque sanguine obsi-
gnarunt suô, tam copiosè, vt riuos pinguedinis humanae
per arenam Amphitheatri sulcum fecisse, *Tacitus* annotarit.
Dicam amplius, quando orientem fidem primus Nero
cruentauit, vt *Tertullianus* aduersus Gnosticos loquitur, in-
numeros Christianos latuisse Romae, dubium non est, qui
gravissimos cruciatus veriti, vt *Tunicam molestam*, (quae
erat indusum cerâ illitum, quo martyres, taeda & papyro
circumdati, superuestiebantur ad nocturna spectacula, de
quo *Juvenalis* cecinit:

Pone Tigillinum: taeda lucebis in illa,

Quâ stantes ardent, qui fixo gutture fumant.)

Et sexcenta alia genera mortis, noviter tunc excogitata,
non sub dio, sed in speluncis subterraneis potius, Christianos
se esse, professi sunt, quae Ecclesiae pressae seu inuisi-
bilis solet esse conditio. Certè èv idώ μαθάματι, in pro-
prio conducto, excipiebantur à Paulo omnes, qui ingredie-
bantur ad ipsum *Acto. XXVIII, 30.* etiamsi, instar Nicode-
mi, nocte accederent *Iob. III, 2.* E quibus omnibus id de-
mum sequitur, ad τὰ αἰδώματα quidem conuersionem Sene-
cae non pertinere, sed potuisse eum luce Euangeli illuminari,
nisi conciones Paulinas μωγίας seu stultitiam interpre-

§ (18.)

tatus fuisset i. Cor. I, 33. Actu ipso autem Christianismum eum professum & Epistolas, quae in hanc rem circumferruntur, genuinas esse $\delta\pi\omega\tau\omega\mu\omega\varsigma$ negamus, reddimusque huius negationis nostrae rationes sequentes.

§. 13. Primo, scriptores veteres, quorum probata in annotandis Ecclesiae rebus fides est, non tantum de conversione Senece omnino tacent; sed quae communis erat Philosophorum $\alpha\nu\vartheta\alpha\delta\epsilon\alpha$, eundem etiam in infidelitate decessisse, referunt. Clarissimum testimonium *Lucius Coelius Laetantius* suppeditat, quando L. VI. de vero Cultu cap. mihi 24. mirabilem hanc, vti ipse appellat, è Seneca citat sententiam: *Magnum nescio quid, majusque quam cogitari potest, numen est, cui vivendo operam damus.* Huius nos approbemus. Nam nihil prodest inclusa conscientia, patemus DEO. Subiungit igitur hisce Senecae verbis Laetantius: *Quid verius dici potest ab eo, qui DEUM nosset, quam dictum est ab homine verae Religionis ignaro?* Nam & Maje statem DEI expressit, maiorem esse dicendo, quam ut eam cogitatio mentis humanae capere posset, & ipsum veritatis attigit fontem, sentiendo, vitam hominum supervacuam non esse, vt Epicuraci volunt, sed DEO ab his operam viviendo dari; siquidem iuslè ac piè vixerint. Potuit esse verus DEI cultor, si quis illi monstrarisset; ac contempserisset profecto Zenonem & Magistrum suum Socionem, si verae sapientiae Ductem nactus esset. Huic Nos, inquit, approbemus. Coelestis prorsus oratio, nisi antecederet ignorantiae confessio &c. Vides quam perspicue Laetantius Christianismum Senecae negat? Quod ante eum *Tertullianus* etiam fecerat, quando in Apologetico aduersus Gentes; non Christianis, sed Ethnicis Doctoribus Senecam accensuit, aiens: *Multi apud vos ad tolerantiam doloris & mortis hortantur, vt Cicero in Tusculanis, vt Seneca in Fortuitis, vt Diogenes, vt Pyrrhon, vt Callinicus.*

Nec



¶ (19.) (5)

Nec tamen tantos inveniunt verba discipulos, quantos Chri-
stiani factis docendo &c.

§. 14. Secundo Senecae infidelitas multo magis erit perspicua, si ea consideres, quae è Libro eiusdem *aduersus superstitiones* Augustinus citavit; Neque enim mihi *Marci Zuerii Boxhornii* coniectura arridet, quâ in Historia vniuersali p. 124. Senecae, de superstitionibus Romanorum Commentarios à Christiano aliquo conflictos & Senecae nomine vulgatos suspicatur, vt & sic Christianus Seneca videtur. Et sermonis indolem & materiam etiam, non est, quod Senecae esse dubitemus, quando in scriptis eius indubitatis similia reperiri observavimus. Nec faciunt fragmenta haec, vt Christianus Seneca videatur, sed vt plane gentilis & vnō nomine *Augustinus*. Refert enim *Augustinus* L. VI. de civ. D. c. X. vti in eodem Libro, quem contra superstitiones scripsit, ciuilis Theologiae has partes elegerit Seneca sapienti, *Ut eas in animi Religionem non habeat, sed in actibus fingat*; dum dixit: *Quae omnia sapiens servabit, tanquam legibus iussa, non tanquam Diis grata*. Item: *omnem istam ignobilem Deorum turbam, quam longò aevò longa superstitione concessit, sic inquit, adorabimus, ut meminerimus cultum ejus magis ad mortem, quam ad rem pertinere*. Quibus Senecae verbis rectè *Augustinus* subiungit: *Sed iste, quem Philosophi quasi liberum fecerunt, tamen quia illustris populi Romani Senator erat, colebat, quod reprehendebat, agebat, quod arguebat: quod culpabat, adorabat, quia videlicet magnum aliquid eum Philosophia docuerat, ne superstiosus eset in mundo, sed propter leges ciuium, moresque hominum, non quidem ageret fingentem scenicum in theatro, sed imitaretur in templo, eo damnabilius, quod illa, quae mendaciter agebat, sic ageret, vt eum populus veraciter agere existimat, Scenicus autem ludendo potius delectaret, quam fallendo*

deciperet. Sed & alia, ex eodem contra superstitiones Libro, ab Augustino citantur, quae scepticum, non Christianum Senecam fuisse arguunt; *Sabbati* enim *Hebdomadici* Sacra penitus improbat, quorum Autor tamen DEUS ipse est. Ita *Sacramenta Iudeorum* ridet, quod maior pars populi faciat, quod cur faciat, ignoret. Quae in Vetus Testamentum, legemque Iudaicam calumnia, iterum *Augustino* non placuit; citat enim scripta sua, in quibus, aduersus Manichaeos, de eadem materia disputauerat.

§. 15. Cum vberima errorum mesis in eo Senecae libro conspicua sit, qui pro optimo haberi solet, mirum non est, in aliis eiusdem scriptis plura contra fidem nostram concepta reperiri. Tertio igitur & generaliter quidem Stoicorum errores suos fecisse Senecam, ex innumeris patet testimonii. Nam *Zenonem* laudat in Epistola LXXXIII. *ut virum maximum, sectae fortissime & sanctissimae* (id est Stoicae) *conditorem*; & iterum alibi: *Tantum, ait, interesse inter Stoicos, & caeteros sapientiam professos, quantum inter viros & foeminas.* Atque ideo de Seneca nostro scripsit *Lactantius*, quod ex Romanis *Stoicus acerrimus* fuerit L. I. de falsa Religione cap. 5. & lib. 2. cap. 8. *omnium Stoicorum acutissimum* vocat. Enimuero vtut de Stoicorum Philosophia ita senserit *Hieronymus* in Esaiae cap. XL. *Stoici nostro dogmati in plerisque concordant, nihil appellant bonum, nisi solam honestatem, nihil malum nisi turpitudinem, & Iustus Lipsius* quondam scripserit: *Ex Philosophis omnium accommodatissime ad Christianam veritatem Stoici scripserunt*, L. I. Msc. Ep. 33. & 97. comparatè tamen eadem intelligenda veniunt, non quod Stoici boni, sed quod minus mali fuerint, & restringenda eorum laus ad Theologiae Naturalis capita est. Nam quae propria fidei nostrae, qua Christiani dicimur, mysteria sunt, Epicurei pariter

pariter & Stoici Philosophi repudiarunt, quibus Evangelii nuncius ille; Sanctus Paulus, σπερμολόγος dictus est, iudicaruntque nouorum Daemoniorum annunciatorem eum esse, eo quod IESVM & Resurrectionem annunciabat eis, *Actor.* XVII, 18. Non vacat omnia Stoicorum dogmata singulatim recensere, quorum plurima scriptis diuinis contraria fuerunt, fusè eadem exponunt *Laërtius* in Zenone, *Simplicius* in Scholiis, *Arrianus*, *Barlamus*, *Cleomedes*, & è recentioribus *Iustus Lipsius*, nec non *Daniel Heinsius* L. 2. de Satyra Horat. Conferri etiam utiliter possunt *Gerhardus Iohannes Vossius* de Philosophorum sectis cap. XIX. & *Georgius Hornius* in Historia Philosophica LIII. c. XVI. Capitalis certè *Senecae* error fuit, quod sapientiae humanae omnia tribuerit, nec alium σοφίας verae fontem, quam naturam ipsam, agnoverit; qui more Stoicō sapiebat, vt illi soli φασιλεῖα, ιερωσύνη, περοφήσεία, νομοθετική, πλεῖτο, κάλλος αἰλιθινὸν, ἐνφύεια, ἐλευθερία, Regnum, Sacerdotium, Prophetia, legis ferendae sententia, diuitiae, vera pulchritudo, nobilitas, libertas, ab huius Sectae hominibus, tribuerentur, vti *Clemens Alexandrinus* L. II. stromat. loquitur. De sapientia, quae per Reuelationem supernaturalem ex DEO est, quam caro & sanguis non reuelat, sed Pater coelestis *Matth.* XVI, 17. altissimum in scriptis Senecae est silentium. DEVM porro, quem agnouit *Seneca*, Naturam ipsam esse asseruit, apud *Lactantium* L. II. de origine Erroris cap. 8. inquiens: *DEVS ipsa Natura est.* Alibi Mundo tribuit, quae asserenda soli DEO erant. *Vnus omnium parens*, inquit L. III. de beneficiis cap. 28. *Mundus est, siue per splendidos, siue per sordidos gradus; ad hunc prima cujusque origo perducitur.* Anima- rum insuper immortalitatem, etsi alicubi, Epistola nempe CII. asserere videatur, dum ait: *Per has mortales aeuia mo- ras, illi meliori vitae, longiorique praeluditur.* Quemadmo- dum

dum nouem mensibus eos tenet maternus uterus, & praeparat non sibi, sed illi loco, in quem videmus remitti, iam idonei spiritum trabere, & in aperto durare: sic per hoc spatum, quod ab infantia patet in senectutem, in aliud naturae sumimur partum. Alia origo nos expectat, alius rerum status. Nondum cœlum nisi ex interuallo pati possumus. Proinde intrepidus horam illam decretoriam prospice. Non est animo suprema, sed corpori. Quicquid circa te jacet rerum, tanquam hospitialis loci sarcinas specta. Transeundum est, &c. Alibi tandem de immortalitate dubitasse Senecam, à Tertulliano annotatum est, ab initio Libri, de resurrectione carnis, exclamante: *Fiducia Christianorum, resurrectionis mortuorum: Illam credentes sumus, hoc credere veritas cogit. Veritatem DEVS aperit, sed vulgus irridet existimans, nihil superesse post mortem.* Plane cum vulgo interdum & sapientes sententiam suam iungunt. *Nihil esse post mortem, Epicuri Schola est.* Ait & Seneca: *omnia post mortem finiri, etiam ipsam.* Eandem Senecae sententiam iterum Tertullianus allegat in Libro de *Anima* cap. XLII. (distinctionis Pamelii) multo coactus Seneca: *post mortem* (ait) *omnia finiuntur, etiam ipsa.* Hoc si ita est, jam & mors ad se ipsam pertinebit, si & ipsa finitur. Confer denuo Librum de *Resurrectione carnis* cap. 3. Haesitasse aliquando Senecam de *Animae* immortalitate etiam ex Epistola eiusdem LVII. colligo: *Quomodo fulmini, scribit, etiam cum latissime percussit ac fulsit, per exiguum foramen est redditus: sic animo, qui adhuc tenuior est igne, per omne corpus fuga est.* Itaque de illo quaerendum est: *An possit immortalis esse?* Hoc quidem certum habet, si *superstes est corpori, propter hoc illum nullo genere posse perire,* propter quod non perit: quoniam nulla immortalitas cum exceptione est, nec quicquam noxiū aeterno est. Sed quicquid tandem de *animae* immortalitate Seneca senserit, carnis resur-

resurrectionem omnino negavit , nec improborum post mortem supplicia credidit , omnes animas separatas , in loco citato anteà , ad eundem ordinem referens , vbi *summus est fulgor , tot sideribus inter se lumen miscentibus* ; vbi item *nulla serenum umbra turbabit ; aequaliter splendebit omne coeli latus , &c.* Addam vnicum adhuc è scriptis Senecae locum , vt probem , Christianis eum accenseri non posse ; Quorundam animalium esum , sanguinis item , & suffocati in veteri Testamento , DEVM prohibuisse , è Levitici cap. XI. notum omnibus est ; & quamuis in Nouo Testamento Ceremoniarum Leuiticarum necessitas desierit , è Iudaeis tamen dum colligenda erat Ecclesia , caute cum infirmis fratribus Christiani primi egerunt , ne eosdem , propter escam , tristitia afficerent , vel escâ suâ perderent fratrem , pro quo Christus est mortuus , Rom. XIV. 15. Atque ideo in Concilio Apostolico , Hierosolymis habito , decretum est , vt abstinerent Christiani ab iis , quae sunt immolata idolis , & à sanguine , & à suffocato &c. Acto. XV. 29. Non latebant haec Senecam , sed vide , quam contemptim primae Christianorum Ecclesiae prudentiam , vt superstitionem alienigenarum traducat , ad Lucium scribens Epistolâ CVIII. *abstinere animalibus coepi : Et anno peracto non tantum facili mihi erat consuetudo , sed dulcis ; Agiliorem mibi animum esse credebam , nec tibi hodie affirmauerim , an fuerit . Quaevis , quomodo desierim ? in Tiberii Caesaris principatum juvetae tempus inciderat , Alienigenarum Gentium Sacra mouebantur . Sed inter argumenta superstitionis ponebatur , quorundam animalium abstinentia . Patre itaque meo rogante , qui non calumniam timebat , sed Philosophiam oderat , ad pristinam consuetudinem redii , nec difficulter mibi , ut inciperem melius coenare , persuasit . Non dubito apprehendere Lectorem , quos paragraphus ille pungat , institutum DEI pes- sume .*

sime traducit infidelis homo, & gentilium etiam mores exer-
catur, ut Logothetae fidelium aegre faciat. Atque haec
circa vitae suae exitum scripsit Seneca, se ipsum *senem* ap-
pellans, suaequa aetatis in eadem epistola deplorans iniurias.
Senecam igitur pro fideli non habebo prius, quam *Ta-
citi* (qui similiter in Iudeorum ritus θεοσδότες acerbe in-
uehitur) Christianismus probatus fuerit.

§. XVI. Quartum & peculiare argumentum adver-
sus Christianismum Senecae, commendata ab hoc scripto-
rae αὐλοχειρία suppeditat. Norunt Christiani omnes, quin-
tum Decalogi praeceptum: *non occides*, tum proximi,
iūiū sui ipsius necem prohibere; Nam & hic homi-
cida est, qui sibi ipsi violentas manus infert, & homines
certè occiderunt *Themistocles Atheniensis, Cato*, eiusdem-
que filia *Porcia, Lucretia* item, & similes αὐλοφονεῖται. No-
runt, inquam, Christiani, neminem esse sui ipsius Domi-
num, sed terram ipsam esse Ichouae & plenitudinem eius,
orbem terrarum & vniuersos, qui habitant in eo, Psalm.
XXIV, 1. Nullus nostrum sibi ipsi viuit, & nullus sibi ipsi mori-
ritur. Siue enim vnuamus, Domino viuimus; siue moria-
mur, Domino morimur, siue ergo vnuamus, siue moria-
mur, Domini sumus, Rom. XIV, 7. 8. Norunt denique
Christiani, charitatis erga proximum cynosuram nullam-
aliā esse, quam charitatē erga se, dicente Domino:
diliges proximum tuum sicut te ipsum Lev. XIX, 18. Matth. XXII, 39.
Marc. XII, 31. Si quis igitur se ipsum capitali odio prosequi-
tur, proximum sane diligere sincere non poterit. Ut tace-
am, infidelitatis seu diffidentiae in Deum argumentum hoc
esse, desperare de auxilio diuino, & vnicum solatium in gla-
dio sanguinolento quaerere. Alia omnia Seneca fuit per-
suasus, quemadmodum enim Stoici vniuersim interempto-
res sui laudare soliti sunt, ita similiter Seneca non uno in-
loco

loco huius generis facinora commendauit, alicubi quidem obscurius, vt quando Epist. XXVI. scripsit: *Vna est catena,*
quae nos alligatos tenet, amor vitae. Qui vt est non abiiciendus, ita
minuendus est, vt si quando res exiget, nihil nos detineat, nec impe-
diat, quo minus parati simus, quod quandoque faciendum est, statim
facere. Alibi vero clarius, imprimis Epistola LXX. In qua
 prolixam pro iis, qui poenae suae commodarunt manum
 propriam, apologiam scripsit senex. En flosculos! si altera
*mors cum tormento, alterum simplex est & facilis, quidni huic iniici-
 enda manus sit?* Quemadmodum nauim eligam nauigaturus &
 dum habitatus, ita mortem vique, quam sum exiturus e vita melio-
 rem. Praeterea quemadmodum non viique melior est longior vita, sic peior
 vique mors longior. In nulla re magis, quam in morte mors maximo
 genere debemus. Exeat, quam impetum cepit: siue ferrum appetit, siue
 laqueum, siue aliquam potionem venas occupantem: pergit & vincula
 servitutis abrumpat. Vitam & aliis approbare quisque debet, mor-
 tem sibi. Optima est, quae placet. - - - Nihil obstat erumpere
 & exire cupienti: in aperto nos natura custodit. Cui permittit ne-
 cessitas sua, circumspiciat exitum mollem. Cui ad manum plura sunt,
 per qua sepe efferat, is delectum agat, & qua potissimum liberetur,
 considereret. Cui difficilis occasio est, is proximam quamque pro opti-
 ma arripiat, si licet inaudita, si noua. Non deerit ad mortem in-
 genium, cui non defuerit animus - - - Ille vir magnus est, qui mor-
 tem sibi non tantum imperavit, sed invenit - - - Secundo Nau-
 machiae spectaculo unus è barbaris lanceam, quam in aduersarios ac-
 ceperat, totam ingulo suo immersit. Quare ego mortem armatus ex-
 pecto? Tanto hoc speciosius spectaculum fuit, quanto honestius mori
 discunt homines, quam occidere. Quid ergo? quod animi perdit, noxiosque
 habent, non habebunt illi, quos aduersus hos casus instru-
 xit longa meditatio & magistra rerum omnium ratio? illa nos docet,
 fati varios esse accessus, finem eundem. Nihil autem interesse unde
 incipiat, quod venit. Eadem illa ratio monet, vti si licet, moriaris
 sine dolore. Sin autem non potes; fac quemadmodum potes & quic-
 quid obuenierit, ad vim adferendam tibi, inuadas. Iniuriosum est mpto
 viuere, at contra pulcherrimum mori mpto. Putasne voces has

D

Chri-

¶ (26.) ¶

Christiani hominis esse, & qui D E O suo confidit? Immo desperant in hunc modum ἐλπίδα μὴ ἔχοντες, καὶ ἀθεοὶ εἰ τῷ κόσμῳ nullam spem habentes & DEI expertes in mundo. *Ephes.* II, 12. Constanter autem Seneca in hunc modum docuit, senex etiam, nec diu ante funestum exitum. Iterum huius crudelitatis mentionem fecit Epistola LXXVII. *Marcellini* factum commendans, quod mortem quidem sibi conscriverit, tamen mollissimè excederit, & vitae elapsus sit. Tam pertinax in flagitioso hoc Stoicorum errore fuit Seneca.

§. XVII. Quintum argumentum, & sextum etiam aduersus Christianismum Sencae, nouissima eiusdem suppeditant. *Autoxεία* enim, quam alios docuit, usus ipse est, & post crudele facinus, idola gentilium implorans periiit.

Vitaque cum gemitu fugit indignata sub umbras.

Quousque alias, ad sui interitum, capitis damnato cooperari liceat, disputari inter Scholasticos solet, afferente *Alphonso a Castro* αὐτοχείᾳ etiam tunc committi, quando reus patibulum ascendit, vel crucem baiulat, &c. Sed vti *Dominicus à Soto* Lib. I. de iustitia & iure qu. 6. & L. V. qu. 6. sententiam hanc recte reiicit, ita dubio proculis veri nominis αὐτοχείᾳ est, qui annuntiatā sibi moriendi necessitate, martum carnificis non expectat, sed alienae crudelitatis procriptionem suscipit, atqüe ita timore mortis moritur. Quod in Scholis Doctorum Moralium extendi etiam ad eos solet, qui in bello nauali, cum infidelibus, ignem pulueri pyrio admouent, ne ipsi & sua in hostium veniant potestate, vti haec apud Lessium de iustitia. L. II. c. 9. dub. 6. *Fagundez* in pracepta Decalogi Tom. I. L. V. c. II. *Iobannem Martinez de Prado* Tom. II. Theol Moral. c. 20. qu. 2. *Amadaeum Guimenium* in Opusc. p. 20. aliquosque concertantes scriptores legi possunt. Multo minus igitur excusandus erit Seneca, quod destinatum sibi suppli-

supplicium sciens, poenae suae manum commodarit, & alienum negotium egerit. Prolixius equidem, seu disertè, novissima Senecæ Tacitus descripsit, & merentur eius verba, vt aduersarios arctissimè constringamus, quae hic integra legantur: *Sequitur caedes Annaei Senecæ*, inquit Annal. XV. N. 9. *laetissima Principi, non quia conjurationis manifestum compererat, sed vt ferro grassaretur, quando venenum non processerat.* Solus quippe Natalis & bactenus promisit: missum se ad aegrotum Senecam, vt visceret conquerereturque, cur Pisonem aditu arceret? Melius fore, si amicitiam familiari congressu exercuisserent. Et respondisse Senecam, sermones mutuos & crebra colloquia neutri conducere: Caeterum salutem suam incolumitate Pisonis inniti. Haec ferre Granius Sylvanus tribunus praetoriae cohortis, & an dicta Natalis, suaque responsa nosceret, percontari Senecam jubetur. Is, fortean prudens, ad eum diem ex Campania remeauerat, quartumque apud lapidem suburbano rure substiterat. Illo propinqua vespera tribunus venit, & villam globus militum sepsit. Tum, ipse cum Pompeia Paullina uxore & amicis duobus epulantis mandata Imperatoris edidit. Seneca missum ad se Natalem, conquestumque nomine Pisonis, quod visendo eo prohiberetur, sequeratione valetudinis & amore quietis, excusauisse respondit. *Cur salutem priuati hominis incolumitatis suae anteferret, causam non habuisse, nec sibi promptum in adulaciones ingenium.* Idque nulli magis gnarum quam Neroni, qui saepius libertatem Senecæ, quam seruitum expertus esset. Ubi haec à tribuno relatæ sunt, Poppaea & Tigellino coram quod erat saeuienti principi intimum consiliorum, interrogat: an Seneca voluntariam mortem pararet? Tum tribunus nulla pauoris signa, nihil tristis in verbis eius aut vultu deprehensum confirmavit. Ergo egredi, & indicere mortem iubetur. Tradit Fabius Rusticus non eo quo venerat itinere redditum, sed flexisse ad Fenium, Praefectum, & expositis Caesaris iussis, an obtemperaret inter-

rogauisse; monitumque ab eo, ut sequeretur, fatali omnium
 ignauia. Nam & Siluanus inter conjunctos erat, augebatque sce-
 lera in quorum ultionem consenserat. Voci tamen & aspectui
 pepercit. Introrsusque ad Senecam unum ex centurionibus,
 qui necessitatem ultimam denunciaret. Ille interritus poscit
 testamenti tabulas: ac denegante centurione, conversus ad a-
 micos, quando meritis eorum referre gratiam probiberetur,
 quod unum jam, attamen pulcherrimum, habebat, imaginem
 vitae suae relinquere testatur, cuius si memores essent bona-
 rum artium, famam tam constantis amicitiae laturos. Si-
 mul lacrymas eorum, modo sermone, modo intentior in modum
 coercentis ad firmitudinem reuocat, rogans: Vbi precepta sa-
 pientia? Vbi tot per annos meditata ratio aduersum imminen-
 tia? Cui enim ignaram fuisse saevitiam Neronis? Neque aliud
 supereesse post matrem fratremque imperfectos, quam ut edu-
 catoris praeceptorisque necem adiiceret. Vbi haec atque talia
 velut in commune differuit, complectitur uxorem, & paulo-
 lum aduersus praesentem formidinem mollitus, rogat oratque
 temperaret dolori, ne aeternum susciperet, sed in contemplatione
 vita per virtutem actae, desiderium mariti solatiis honestis
 toleraret. Illa contra, sibi quoque destinatam mortem adse-
 nerat, manumque percussoris exposcit. Tum Seneca gloriae
 ejus non aduersus, simul amore, ne sibi unice dilectam ad in-
 iurias relinquerset: vitae, inquit, delinimenta monstraueram
 tibi, ut mortis decus manus, non inuidabo exemplo. Sit bu-
 iustam fortis exitus constantia penes utrosque par, claritudi-
 nis plus in tuo fine. Post quae, eodem ictu brachia ferro ex-
 foliunt. Seneca, quoniam senile corpus & paruo ictu te-
 nuatum, lenta effugia sanguini praebebat, crurum quoque ac
 poplitum venas abrumptae saeuisque cruciatibus defessus,
 ne dolore suo animum uxoris infringere, atque ipse, visendo
 eius tormenta, ad impatientiam delabereur, suadet in aliud
 cubicu-

eubiculum abscederet. Et nouissimo quoque momento suppeditante eloquentia, aduocatis scriptoribus, pleraque tradidit; quae in vulgus edita eius verbis inuertere supersedeo. At Nero, nullo in Paullinam proprio odio, ac ne gliseret inuidia crudelitatis, inhiberi mortem imperat. Hortantibus militibus, serui libertique obligant brachia, premunt sanguinem, incertum an ignarae. Nam ut est vulgus ad deteriora promptum, non defuere qui crederent, donec implacabilem Neronem timuerit, famam sociatae cum marito mortis petuisse, deinde oblatu mitiore spe blandimentis vitae evictam. Cui addidit paucos postea annos, laudabili in maritum memoriam, & ore ac membris in eum pallorem albentibus, ut ostentui esset multum vitalis spiritus egistum. Seneca interim durante tractu, & lenititudine mortis, Statuum Annaeum diu sibi amicitiae fide & arte medicinae probatum, orat provisum pridem venenum, quo damnati publico Atheniensium iudicio extinguerentur, promeret: allatumque hauisit frustra, frigidis iam artubus & clauso corpore aduersum vim veneni. Postremo stagnum calidae aquae introiit, respergens proximos seruorum, additâ voce: Libare, se liquorem illum IOVI LIBERATORI. Exin balneo illatus, & vapore eius exanimatus sine ullo funeris solenni crematur. Pro Christiano Senecam habeat quicunque voluerit, ego illum, qui moriens etiam Iovi liberatori se libare dixit, pro gentili pertinaciter habebo; prorsus enim Ethnicam consuetudinem, infideles inter receptam hanc fuisse, palam est, quemadmodum de Tbrasea etiam Xiphilinus in Epitome Dionis p. m. 289. annotauit: ἐντεμῶν τὴν Φλέβα, ἀνέτενε τὴν χειρα, καὶ ἔφη, Σοὶ τότο τὸ ὄμα, ὁ Ζεῦ ἐλευθέρει σπένδω, cum venam secuisset, porrectâ manu dixit: Hunc tibi, ο Iupiter Liberator, sanguinem lito. Eandem historiam à Tacito annotatam Annal. L. XVI. legimus: Tbrasea, inquit, accepto Senatus Consulto, Heluidium & Demetrium in cubiculum inducit: porrectisque vtriusque brachii venis, postquam cruorem effudit, bumum super spargens, propius vocato questore, Libemus, inquit, IOVI LIBERATORI, specta iuuenis, & omen quidem Dii probibeant; Caeterum in ea tempora natus es, quibus firmare animum expediatur.

¶ 30. ¶

*pediat constantibus exemplis. Confer. Barnabae Brissonii de
Formulis. L. I. p. 33.*

§. XVIII. Restat, ut septimum etiam argumentum, ad confutandam, quae circumfertur, de Christianismo Senecae fabulam promamus. Obseruamus igitur originem habuisse eam ex epistolis quibusdam, quas Seneca ad Paulum dedit, & hic vicissim alias ad illum, quarum etiam superiorius mentionem fecimus. Enimvero animaduerterunt iam dudum censores scriptorum veterum, epistolas easdem esse suppositias, & quemadmodum Erasmus loquitur: *Nec Paulina Majestatis, nec gravitatis Senecae habere quicquam.* Aliis dicuntur ridiculae, ineptae, barbarae, *Seneca & Paulo indignae, commentum monaci rudioris, qui plurimae eiusmodi, dum in claustris suis sedebant, soli Bibliothecarum possessores, indoctis seculis obtruserunt.* *Quis non omnino insanus & ineptius ex ipso stylo statim arguat, Auctorem suum eas mentiri?* exclamat Boxhornius in Histor. Vniuers. p. 123. Atque hoc adeò verum est, ut ipsimet Pontificii scriptores, quos citauit anteā, animaduerterint, confessique fuerint, fraudem hic subesse. Integrā quandam Senecae ad Paulum Epistolam repetam, ut eo promptius iudicare, de autoritate illius unusquisque possit, & quid *Cardinalis Caesar Baronius* de eadem Epistola censuerit, annotabo,

PAULO ANNAEUS SENECA S. S.



Ve mi Paule clarissime. Putasne, me haud contristari & non luctuosum esse, quod de innocentia vestra subinde

inde sumatur supplicium? Dehinc quod tam obnoxios vos reatui omnis populus iudicet, putans a vobis effici, quod in vrbe contrarium fit, sed feramus aequo animo, & vtamur foro, quod sors concessit, donec invicta felicitas finem malis imponat. Tulit & prisorum aetas Macedonem Philippi filium & Dionysium. Nostra quoque Caium Caesarem; quibus quicquid libuit, licuit. Incendium Vrbs Romana vnde saepè patiatur manifestè constat, sed si effari humilitas humana potuisset, & impune his tenebris loqui liceret; iam omnes omnia viderent, Christiani & Iudei quasi machinatores incendii supplicio affici solent. Gras-sator iste quisquis est, cui voluptas carnificina est, & mendacium velamen, tum tempori suo destinatus est, & sicut optimi cuiusque caput pro uno donatur capite, ita unum pro multis dabitur caput, & hic devotus pro omnibus igni cremabitur. Centum triginta duae domus, Insulae quatuor, sex diebus arsere: septimus pausam dedit. Bene te valere opto. Data quinto Kal. Aprilis, Friegio & Basso consulibus.

Oportet profecto caput cerebro vacuum habere, qui haec Senecam scripsisse opinatur. Quaeso te, quam horrunt omnia! quam magnus Barbarismorum & Soloecismorum numerus occurrit! quam ineptè solari Apostolum conatur Tyro! Immò quam apertè mentitur nugator ille

Audi

Audi Baronium: *Senecae Epistola ad Paulum de incendio Ne-*
roniano, scribit ad Annum Christi LXVI. N. XI. mēa sen-
tentiā, ab alio quopiam potius facta videtur, quam a Seneca
scripta, cum tam aperta in ea afferantur mendacia, nempe,
centum tantum triginta duas arsē domos & Insulas. Nam,
cum ex quatuordecim urbis Regionibus, quatuor tantummo-
do integras remansisse, testetur Tacitus, longē quidem maiorem
exustarum domorum & insularum numerum extitisse oportuit.
Monet deinceps Baronius, in suo exemplari, Apronianī, &
Capitonis Consulatum apponi, atque ita Epistolam hanc
quinque annos ante incendium scriptam esse. Quod
ineptissimum institutum ut corrigeret Sixtus Semensis, &
Lectorem tutius falleret, alios Consules apponere non du-
bitavit. Biuarii vero coniectura est, ab imperitis quibusdam,
veris Epistolis Senecae & Pauli, consulatus falsos apponi
facile potuisse, nec in tam breuibus, ac familiaribus neces-
sūm fuisse, ut Seneca Consules apponeret. Ita quas adeo
commendant epistolas, ipsimet Pontificii de falsitate su-
spectas reddunt, atque vna fundamentum Christianismi
Senecae, quem propugnant tamen, ridiculē destruunt.
Caeterum illi ipsi scriptores ē Criticis recentioribus, qui
in laudibus Senecae recensendis modum omnem excedere
videntur, in iudicio tamen suo de Epistolis ferendo fluctuant;
Lipsius praeſertim, caput X. de vita Senecae verbis se-
quentibus concludit: sed heus Epistolas ad Diuum Paulum
non memoramus? Quae nunc sunt, non sunt tanti: Imo cer-
tum est ejusdem Auctoris & Pauli & Senecae illas esse, &
compositas à semidocto in ludibrium nostrum. Tentat latine
loqui, quisquis Auctor fuit. Hactenus bene. Sed in iis,
quae sequuntur, coniecturis, nequaquam assentimur Lipsio:
Pergit enim: Ergo inter se non scripserunt? Et respondet: Hier-
onymus, Augustinus, atque etiam antiquior utroque Linus

Pon-

Pontifex, asserunt & pasim opinio olim fuit. Atque adeo Iob. Sarisburiensis fortiter: Despere videntur, qui non veneratur eum, quem Apostolicam familiaritatem meruisse constat. Itaque reiicere hoc totum & calcare non ausim: fuerint aliquae, sed aliae: si istae, requiro iudicium optimorum Patrum. Hucusque Lipsius.

§. XIX. Nil supereft amplius, quam ut Rationes aduersae partis, in praecedentibus allegatas, dijudicemus. Ad Primam igitur dicimus, in Logicorum Regulas peccare, qui ita arguunt: in toto Praetorio innotuerunt conciones Pauli, & sancti quidam è Caesaris domo Philippenses salutarunt; Ergo Seneca etiam, secus, quam è scriptis eius & historicis antiquis constat, ad Christianismum aliquando conuersus est. Cur non de Tigillino, Natali & similibus, qui eodem vixerunt tempore, subsumunt? sicuti positò genere, non necessum est ponere certam determinatam speciem, ita neque ex eo, quod quidam è Caesaris domo dicuntur conversi, colligere licet, Senecam Christianorum catalogo adscribendum esse.

§. XX. Ad secundum Argumentum respondemus, ostensum esse iam dudum, Librum de *Martyrio Apostolorum*; Lino tributum, esse Φευδώνιον, & eiusdem indolis, cuius solent esse, quae Pontificibus priscis tribui solent, quorum neque nomina, neque ordinem, nec scripta denique nouimus. Et tam evidens est impostura, auctoritatem Lini allegantium, ut Bellarminus quoque de scriptoribus Ecclesiasticis eam agnoverit; Narrat, inquit pag. m. 37. auctor ille multa de actis. S. Petri, quae vel falsa, vel dubia sunt, neque testimonium habet hoc opusculum S. Lini à veteribus; & iterum L. 2. de Romano Pontifice cap. 9. Lini Historia vero conficta est, & quia conficta, nullius est autoritas. Gemina his Cesar Barouius tradidit Annal. Tom. I. ad An-

nām 69. Num. 6. & ad An. 80. N. 4. inquit: *acta passionis Petri & Pauli, quae Lini nomine inscripta habentur multis esse referta erroribus superius est demonstratum.* In eundem sensum Iohannes Maria Magister sacri Palatii scripsit: *duo isti libri de passione Petri & Pauli, sub nomine Lini Romani Pontificis & Martyris sunt Pseudepigraphi, multos errores continent, nec ullius censentur auctoritatis, ut iam eruditorum consensu nimis exploratum habetur.* Confer. Roberti Cocci Censuram Scriptorum veterum p. 15. & Andreae Rueti Lib. I. cap. VI. Critici sui.

§. XXI. Ad tertium respondemus, *Hieronymi* quidem auctoritatem nos magni alias facere, ita tamen, vt veritati primas tribuamus; Homo enim fuit, qui fallere potuit, & falli. Imprimis autem in catalogo scriptorum Ecclesiasticorum vulgi opiniones sequitur, neque perpetuō ē sua sententia, sed ex aliorum saepius scriptissimis nobis videtur; sanctorum etiam titulum iis tribuisse, quos nemo hodie dignos eō censeret. Eodem certē locō, quō Senecam, habuit etiam Philonem & Iosephum, quorum alter antecedit Senecam, alter sequitur. Neque tamen hucusque mihi innotuerunt, qui pro Christianismo Philonis & Iosephi laborarint, nec Sanctum Philonem, vel Sanctum Iosephum citant Autores. Quid multis? in eodem Catalogo nominantur etiam, quos *Hieronymus* ipse & Orthodoxa Ecclesia pro hæreticis habuit, *Tatianus, Origenes, Nouatianus & similes*, impostor item & Chiliastrarum Parens, *Papias*. Oportet igitur scriptorum Ecclesiasticorum titulum ampliasse *Hieronymum* & eōdem notasse omnes, quorum scripta, ad cognoscendum Ecclesiae statum, quicquam faciunt, quemadmodum id non obscurē, de Philone & Iosepho agens, indicauit. Ipsemet certē *Erasmus*, Encomiastes *Hieronymi*, in Scholiis ad verba citata: *Nonnihil demiror, inquit, quid Hiero.*

Hieronymus hic senserit? cum Philonem ponere non sit veritus, Iudeum, non Christianum, & item Iosephum & nonnullos Heresiarchas, cur vocat Catalogum Sanctorum? Aut cur his veretur adiungere Senecam, Etibnicum quidem, sed quod ad mores attinet, multis Christianis sanctiorem? Ceterum Epistolas controuersas non ipse tribuit Senecae, sed eas legi à pluribus refert, ne suam iterum videretur opinionem exponere. Denique, quod Senecam nostrum appellari Hieronymus, Christianum eum fuisse, minime probat, cluem enim Tertullianus in Libro de Anima suppeditat, vocans Senecam sepe Nostrum, ut indicaret, in multis, quae mores imprimis attinent, gentilem hunc cum Christianis consentire; ita enim solent Scriptores veteres citare, qui in certo & proposito negotio sibi assentiuntur, etiamsi in aliis capitibus eosdem aduersos habeant.

§. XXII. Ad quartum dicimus, extitisse quidem olim *Dextrum* quendam, fide Christianâ & dignitate munericis celebrem, dubium non est, cum eidem citatum modo catalogum scriptorum Ecclesiasticorum Hieronymus dicarit, & Sopbronius Hieronymi familiaris, qui librum hunc Graece vertit, ἐπαρχον περιτοεις eum dixerit, sed quod hodie circumfertur, praefixo *Dextri* nomine, Chronicon, scriptum esse suppositium, omnino putamus, atque id adeo clarum, ut Cornelius à Lapide etiam fraudem suorum animaduerterit hōc locō, quando in χειροτάξει, Actuum Apostolicorum Commentario praemissa, p. m. n. scripsit: Ante annos fere 1200. aeo S. Hieronymi & Augustini, Fl. Lucius Dexter, Filius S. Paciani postea Episcopi Barcinonensis, Praefectus Praetorio Orientis, sub Theodosio Imp. Hispanus & Hispanorum encomiastes, scripsit Chronicon, à natali Christi, usque ad annum Christi 430, quo mortuus est S. Augustinus, illud que dedicavit S. Hieronymo (& eo jam vita functo Paulo Orgo)

sio) uti ipse testatur lib. de Script. Eccles. in fine, quem librum
S. Hieronymus vicissim eidem. *L. Dextro* inscripsit. Quae si uit
 illud Card. Baronius, sed non reperit: post mortem eius inuen-
 tum est in Biblioteca Barcinonensi, eo olim translatum ex
 Biblioteca Fuldense, uti ferunt, typisque editum est in Hispania
Caesar - Augustae anno Domini 1619. cum appendicibus
Maximi Braulionis & Helice, Episcoporum Caesar-augustano-
rum, qui illud alternatim & successivè usque ad sua tempora
 continuarunt & prorogarunt. Multi viri docti, praesertim His-
 spani, illud audiē arripiunt citantque. Nonnulli tamen Erudi-
 ti, quibus acris est ensis, spuriū censem, vel certè aliorum la-
 ciniis assutum & vitiatum; tum quia variae ejus circumferun-
 tur Exemplaria, quae inter se variant & dissonant: tum quia
 stylus rudior *Dextri* stylum non aequat, tum quia paradoxis
 & paracronismis inspersam videtur: tum quia ubi, quando,
 & a quo post tot secula primo repertum sit, ignoratur. Sane Ful-
 dae illud studiose perquisui, nec inueni. Sed multo magis
 ineptit Biuarius, quando ad Epistolam certam, inter spurias
 illas, Dextrum respexisse diuinatur, barbarismis non tan-
 tum, sed ineptis etiam sententiis refertam, ut quando Se-
 neca suppositius metuit, in Hispanis morari Paulum, ob
 indignationem Domini, quod à ritu & Secta veteri recesserit,
 & alios rursus conuerterit. Coniecturae huius generis
 Christianos certe non decent, nec propterea indignatio Do-
 mini metuenda, quod Apostoli propagare Euangelium
 omni studio conati fuerint.

§. XXIII. Ad quintum tria verba respondisse suf-
 ficiet, quia enim probatum à nobis iam antea est, *Augusti-*
num pro Christiano Senecam non habuisse, obtortò collò
 in contrarium sententiam trahendus non erat Hippomensis
 Praeful: Senecam ait, *temporibus Apostolorum fuisse*, ita omni-
 no est. Erant etiam temporibus Apostolorum *Tiberius Cae-*
sar,

sar, Caius Caligula, Claudio, Nero ipse, & innumeri alii, quos Christianorum catalogo nemo adscripserit. Pergit Augustinus: Cuius (Senecae) etiam quaedam ad Paulum Apóstolum leguntur Epistolae. Et hoc recte: leguntur, ut solent nempe impostorum libri; legebantur etiam tunc Libri plures, quos ipsem Augustinus Apocryphis accenseret. Sed urbanam tamen Theologiam reprehendit Seneca, ut Augustinus testatur? Non nego, Senecam id fecisse, nondum tamen exinde sequitur, Christianum eum fuisse, Auctor omnes idem fecerunt, *Iulius Caesar Vanius, Godofredus à Valle*, & similes. Non reiicere tantum Ethnicorum errores, sed veritatem Euangelicam amplecti, Christianorum est. *Haec est vita aeterna, ut cognoscant Te solum verum Deum, & quem misisti IESVM Christum*, inquit Salvator noster Job, XVII. 3. idem vero Senecam fecisse, nullibi Augustinus scripsit.

§. XXIV. Ad sextum similiter è praecedentibus patet responsio: Recte in delubra gentilium inuehitur Seneca. Male Sacraenta Iudeorum & Sacra Christianorum Hebdomadica una deridet. Merebatur Claudi Caesaris θρονοθέωτις Annaeanam Apocolocyntosis, id est Satyricum libellum, in quo totum Deorum Senatum, ut fatuum, introduxit Seneca, neque tamen colligendum exinde erat, arcana veritatis coelestis Stoicum hunc Philosophum penetrasse. Vti via reliqua, ita infidelitas etiam habet gradus; Et inter Diabolos sunt, qui magis nocent, quam reliqui, non quod hi boni dicendi sint, sed quod illi magis mali. Poëtis gentilium meliora de Diis tradidit *Varro*, quando Theatricam Theologiam eorum exagitauit, Varronem superauit *Seneca*, Ciuilem etiam Theologiam examinans; Neuter tamen horum scriptorum meritus ob id Christianorum nomen est & titulum. Ita laudamus *Senecam*, si mi-

sertus Christianorum est, in quos Nero saeuit. Sed affe-
ctus humanior Christiani officium non exhaustit, quod fide
& pluribus virtutibus Theologicis demum completur. Fru-
ctus enim Spiritus sunt charitas, gaudium, pax, lenitas, beni-
gnitas, Fides, mansuetudo, temperantia. Aduersus eiusmodi
non est Lex, Gal. 2. 23.

§. XXV. Septimum, ultimumque adeo secus sen-
tientium ἔγκλησις vix meretur responsum. Honorius enim Au-
gustodunensis iis vixit temporibus, quæ ipsimet Pontificii
scriptores infelicissima appellant, cum barbaries, supina
inscitia, mendacia & id genus alia Monasteria tunc occupa-
rint, proscripta cum humanioribus litteris veritate. Quidi-
gitur mirum, quod secundum indolem seculi illius, in quo
vixit, receptam in Monachorum claustris fabulam, suam fe-
cerit Honorius? Epitaphii denique Auctor & anonymous ipse
est, & haud dubie recentior. De stylo Epistolarum Se-
necae & Pauli, quae Sixtus Senensis monuit, obumbrasceum
Autores de industria, ineptissimis coniecturis accensemus
merito, ut taceam Christianos non decere, in causâ fidei,
dissimulationes huiusmodi: Apostolis sanè dissimulare non
conuenit. Et quam ridiculè egissent ambo, si nomina pro-
pria litteris addidissent, & sub tegmine vitiorum Grammati-
calium latere tamen voluissent. Somnia haec sunt & nu-
gae aniles! Certumque adeo manet & firmum, *Lucium*
Annacum Senecam non ut Christianum, sed ut Philosophum
Gentilem decessisse, & ad eundem etiam pertinuisse, quod
Apostolus conquerens est: *Nos praedicamus Christum crucifi-
xum, Iudeis quidem scandalum,* Ελληνοι δὲ μωροί, GRAE-
CIS vero STVLТИAM, I. Cor. I. 23.

Soli DEO Gloria!

Sed &
it, quod
nplor, n
lenius, h
rfsu tium
to seculis
rius enim
net Ponit
aries, sfp
tunc occu
tate. Qu
illius, m
lam, fum
nonyms
stolarum
umbrafe
s accend
causit
simulare
nomina
n Gramm
c fundat
um, Lu
philolog
nusie, p
ffam co
, GR.A.
ly

NEC

L



